

arbitrariis non audeat, sed iisdem Domi et absque deterioratione eorum eousque utatur, quousque materiae sibi necessariae arcana non penetraverit. Scholasticis enim nihil debet esse absconditum in ea arte, cui student. (In Prooem. ff. §. Discipuli.)

STATUTUM XXXVII.

De Judiciis exercendis.

Quia parum est condere jura, nisi sint qui ea tueantur, ac debitae executioni demandent. (c. Ubi periculum. §. Praeterea. de Elect. in 6. c. un. §. Et quoniam. de Stat. Regular. in 6. et l. 2. §. Post originem. ff. de Origin. jur.) Statuimus ideo, ut Clarissimus Dominus Praepositus hujus Domus sit Custos legum, transgressores earum juxta tenorem et obloquentiam Statutorum superius descriptorum, quae ad corticem servanda sunt. (Bartol. in l. Cum Navarchorum. C. de Naviculariis.) et pro delicti qualitate, quae paenes lenire vel aggravare solet. (can. Non afferamus. 24. 9. 1. et c. fin. §. fin. de Clandest. desponsat.) praemissa semper, (jux. c. Reprehensibilis. de Appell.) monitione puniat. (arg. can. Pro qualitate. 26. 9. 7.) exceptioni et appellationi justis et legitimis, quibus jura deferre mandant et praecipiunt, ad quem de jure et praescripto Statutorum Universitatis deferre debet, deferat, suoque ingenio non innitatur, sed legum, Statutorum et Clarissimorum Dominorum Consiliariorum unaque cum illis Judicia exerceat et Sententiam de consensu eorum expresso dicat. Integrum enim est judicium, cum plurimorum Sententiis confirmatur. (can. Extra conscientiam. dist. 64.) et quod a pluribus quaeritur, facilis invenitur. (can. De quibus dist. 20.) Per plures namque homines, perfectissima veritas revelatur. (l. fin. ad fin. 6. de Fideicommissis.)